

Galeacii Caraccioli, vici marchionis vita : qua Constantiae verae Christianae exemplar rarum proponitur

Autor(en): **Caracciolus, Galeacius**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 8

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394613>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

(*) GALEACII CARACCIOLI,

Vici Marchionis

VITA:

Qua Constantiæ veræ christianæ Exemplar
rarum proponitur.

AD LECTOREM.

SI civilis nobilitatis honor, tanquam eorum quæ præclare homines gerunt, præmium amplissimum, permagni semper apud omnes gentes fuit, qui tamen mortalis & caducus, popularem gloriam brevi morituram, fallacemque potius & inanem; quam veram & solidam felicitatis rationem consecratur: multo sane majorem splendorem in nostris animis excitare deberet CHRISTIANA nobilitas, quæ constans & æterna in verum vitæ finem intuetur, & ad summum DEUM, omnium rerum principium atque finem adspirat, omnesque actiones nostras

(*) Hæc Biographia, quæ ex Italico latina facta typis exscripta prodiit An. 1596, quum rarius obvia sit, digna nobis visa est, cujus memoria in exemplum ad posterum conservaretur. Legitur quoque in gallicum Sermonem conversa. Ceterum de nobiliss. Viro consulantur Teissierii Elogia Virorum eruditorum P. II. p. 135.

nostras ad illum scopum dirigat. Verum tanta est humanarum mentium, quæ humi defixæ vitiis & cupiditatibus impeditæ manent, ægritudo, vel potius insania, ut non solum paucissimi reperiantur, qui veram istam & eminentem gloriam sequantur, sed plerique eos etiam, qui omni eam studio amplectantur, irrideant; maledictis, calumniis, iniuriis incessant; & diris etiam tormentis, crucibus atque ignibus prosequantur. Exemplis plenæ historiæ. Quanto igitur hi magis detestandi, quod apertis oculis, quæ ad salutem pertinent, videre nolint, & Deo potius bellum inferre, ac veluti ebrii facti in suam perniciem ruere, quam voluptatibus & commodis vel minimum detrahere malint: tanto majoris faciendi sunt ii, qui Christianum decus ita tuentur, ut omnia vitæ blandimenta aspernati, neque minis, neque promissis, a fidei atque pietatis religione depelli umquam possint. Hic enim filiorum Dei verus Lydius est lapis; degeneres illi censendi qui lucem hanc ferre nequeunt. Nam quemadmodum aquila pullos eos agnoscere, quos acie in adversum solem defixa, stare alacres erectosque animadvertit, reliquos vero e nido præcipites deturbare dicitur; sic summus ille parens eos demum pro veris agnoscit filiis, quos a luce veritatis, nulla commoda, nullæ voluptates, nullæ minæ, nulli denique cruciatus depellere valent. Horum in numero GALEACIUS fuit CARACCIOLUS, Vici MARCHIO, qui re-

ctum

ctum illud & immotum animi robur, Dei beneficio habuit: cujus vitam Italice ante annos aliquot conscriptam, & in Latinum sermonem a me conversam, tamquam luce dignissimam, vel ideo præcipue in publicum prodire volui, ut generosam non apud Italos tantum, sed apud alias quoque gentes æmulationem excitaret, tam raram tanti viri constantiam æquandi, atque ubi opus fuerit etiam superandi. Themistoclem olim, cum somnum capere adolescens non posset, dicere solitum tradunt, se quiescere volentem Miltiadis trophæo excitari, quanto nos acrius incendi atque inflammari par esset, tot vere Christianorum trophæis? hæc enim non ventosam, sed veram gloriam, quæ nulla umquam vi, nullo casu intercipi potest, producant. O beatissimas illas animas, quæ malorum omnium expertes, æternisque præfidiis magnificentissime ornatae, gloria immortalis circumfluent!

GALEACII CARACCIOLI

VITA.

1517

GALEACIUS, cujus vitam, tanquam raræ & inusitatæ in tuenda pietate veraque religione Christiana, constantiæ rarum exemplar, litteris mandare decrevi, Neapoli natus est Urbe nobilissima, mense Januario, anno post Christum natum M. D. XVII. Patrem habuit COLANTONIUM ex antiquissima & illustri CARACCIOLORUM stirpe ortum, sedis Capuanæ. Hic juvenis etiam, non gratus modo, sed & familiaris admodum magno illi Principi Auraico, qui Roma expugnata direptaque, Duci Burbonio suffectus fuerat, vixit: cui tum alias sæpe, tum in Urbis Neapolitanæ obsidione in primis, quo tempore Lotrechius eam oppugnabat, fidem industriamque suam ita probavit, ut cum postmodum idem Princeps a Cæsare Carolo ejus nominis quinto, qui tum Romæ erat, ut diadema, cæteraque imperii insignia acciperet, ad obsidendam Florentiam cum copiis mitteretur, Colantonium consilii causa secum ducendum existimarit. Unde re confecta ad Cæsarem missus, ita prudenter in omnibus se gessit, eique cumulate adeo satisfecit, ut Principis Auraici testimonium vanum non fuisse reapse comprobarit. Quare a Cæsare humanissime tum exceptus, non solum Marchionis titulo ab ipso ornatus, sed Neapolitanorum etiam Viceregi, ob multiplicem rerum usum, ad Regni habenas moderandas a latere junctus fuit. Eo munere ad extremum usque vitæ

tæ suæ diem , qui in mensem Februarium anni M. D. LXII incidit , quo septuagenario major vivere desiit , ita functus est , ut omnium tam nobilium , quam plebejorum benevolentiam meruerit , sed & ipsius Cæsaris Regisque Philippi gratiam. Tali patre genitus Galeacius. Mater vero originem ex nobilissima CARAFFORUM familia ducebat ; cujus frater Romanum etiam Pontificatum adeptus est. Istud non eo a me dicitur , quod hinc aliquid laudis Galeacio accedat : sed ut ejus in tuenda vera religione , de qua paulo post dicemus , constantia magis elucescat. Annos viginti natus erat , quum Colantionius pater , cui prædefuncta conjux unicum hunc marem reliquerat , propagandæ familiæ suæ desiderio conservandique patrimonii , cujus annuus census duodecim millia aureorum superabat , studio incensus , nobilissimam ei virginem , Ducis Nucerini ex præcipuis Regni dynastis filiam , matrimonio junxit ; a qua dotis nomine viginti millia aureorum accepit. Huic VICTORIÆ (ita vocabatur) ad annum usque millesimum quingentesimum quinquagesimum primum , quo domum , familiam , patriamque reliquit , convixit , atque ex ea sex liberos suscepit , fœminas duas , cæteros mares : quorum primogenitus anno M. D. LXXVII Panormi , unico filio filiaque relictis , mortuus est : Filius qui ut alia multa , sic Vici Marchionatum hæreditate obtinuerat , Avo adhuc vivente Galeacio , uxorem stirpe nobilissimam duxit : quæ , ut intelligo , jam binos ei liberos protulit. Et hæc a me ideo narrantur , ut tanti viri perseverantia ex his circumstantiis , & tanquam ex tot gravissimis tentationibus victoria clarius appareat.

Hac ratione spe successione firmata , pater Marchio , qui familiæ suæ splendorem , non conservare modo , sed augere etiam summe cupiebat , filium honores sectari voluit. Quare Cæsari oblatum , & ab eo in familiam humanissime receptum , dapiferi munere fungi cœpit. Quo in loco , haud multo post , magnatum , nobilium , cæterorumque aulicorum observantiam ; sed ipsius præsertim Cæsaris animum , voluntatemque sibi facile conciliavit. Tale enim de eo judicium erat , paucos admodum reperiri , qui vitæ innocentia , morum elegantia , judicio rerumque peritia ei conferri possent. In magnam maximorum honorum spem vocabatur Galeacius : nam Princeps cui inserviebat potentissimus , & majoris fere orbis partis Monarcha erat : quum plane singulari Domini Dominantium gratia ad multo majorem dignitatem certioresque opes mirando mysterio vocatus est. Vivebat forte illis temporibus Neapoli nobilis quidam Hispanus , cui nomen JOHANNI WALDESIO. Hic cum aliquam Evangelicæ veritatis , præcipue vero doctrinæ de Justificatione , cognitionem haberet , falsas de propria justitia , deque bonorum operum meritis opiniones refutando , & consequenter multas superstitiones detegendo , nobiles aliquos quibuscum versabatur , ex densis illis tenebris extrahere cœperat. Horum in numero JOHANNES FRANCISCUS CASERTA , qui Galeacio nostro affinitate junctus erat : ab isto primum viro , quo ob nexum rarasque animi dotes familiariter utebatur , nonnulla ætati , conditionique suæ , sed & mundi hujus vanitatibus valde contraria audire cœpit ; de Verbo scilicet Dei , de vera justificationis nostræ ratione ,
de

de superstitionibus &c. Quamvis autem ejusmodi sermones initio ipsum non permoverent ut has mundi vanitates desereret, nihilominus qui id instrumentum ad sui gloriam elegerat, non permittebat ut semen, quod inter spinas jactum videbatur, periret. Neque abs re hic erit, quo medio inter alia, Deus usus sit, recensere. Publice illis temporibus Neapoli docebat PETRUS MARTYR Vermilius Florentinus, Canonicus regularis, (sic vocant,) vir ob Christianæ religionis singularem quandam cognitionem, pietatis plenissimos mores, & dulcem uberemque docendi copiam, magni nominis; qui postea habitu monachali abjecto; damnatisque superstitionibus Pontificiis, in Christi Ecclesia ita eluxit, ut ignorantiae tenebras fugarit. Ad hunc audiendum se a Caserta trahi semel passus est Galeacius noster, non tam discendi studio, quam tanti viri audiendi curiositate ductus. Is tum D. Pauli Epist. ad Corinth. præ manibus habebat: Quumque intellectus humani fallax judicium in rebus spiritualibus, pariterque Verbi divini efficaciam demonstraret, in quibus Dei Spiritus operatur, inter alia hac similitudine usus est: Si quis forte per aprica deambulans e longinquo mulieres viris mixtas saltare videat, nec sonum ullum audiat, stultos eos judicabit: sed si propius accedat, ita ut numeros, ad quos saltant, audire possit, mutata de iis sententia, non solum delectabitur, sed etiam commoveri, desideriumque accendi in se sentiet, cum iis pariter saltandi. Idem iis evenire dicebat, qui cum in multis, vitæ, morum, vestitus & conversationis mutationem animadvertunt, stultitiæ id primo intuitu attribuunt: quod

si penitius rem perpendant, & Spiritus Dei, ejusque Verbi harmoniam audire incipiant, ex cujus regula mutatio illa processit, quam stultitiam judicabant, moveri primum, postea in animis desiderium accendi sentiunt eos imitandi, qui mundo mundique vanitatibus relictis vitam ad Evangelii normam reformandam censent, ut sancti fiant. Hæc similitudo, tantum (ut ipse familiaribus sæpe narrare solebat) apud Galeacium potuit, ut ex illo tempore depositis carnis affectibus totum applicare animum ad veritatem indagandam cœperit. Itaque & summo studio sacra jam lectitabat, non ignarus ex hisce fontibus petendam esse veram sapientiam: & cum iis demum versabatur, ex quorum vita & sermonibus pietatis & veræ puræque religionis fructus se capeffere posse existimabat. Factum id anno M. D. XLI, ætatis suæ XXIII. Dicitur vix potest quantum subita hæc mutatio iis, qui mundo adhuc & carnis affectibus adhærebant, stuporis injecerit; quum ejus rei causam plerique dignoscere non possent, & cœteri melancholicos hos esse impetus, ac modo non stultitiam ipsam judicarent. Pari admiratione, sed cum summo gaudio conjuncta, tenebantur & ii, qui puræ religionis radiis illuminati erant; utpote qui extraordinarium Dei opus contemplarentur, quod juvenis, ea ætate, iis opibus, ea dignitate, illis deliciarum illecebris, in tanta patriæ aulæque illius corruptela, spiritu pietatis, veræque pœnitentiæ jam præditus esset. Fuit ex horum numero & MARCUS ANTONIUS FLAMINIUS, magni nominis vir & poeta celebris; quod ejus *Paraphrases in Psalmos*, aliaque elegantissima carmina abunde testantur. Ab isto tunc viro epistolam accepit

cepit Galeacius, quæ congratulationem doni a Deo accepti continebat. Quam, ut huic historiæ infereretur, dignam judicavi, testem futuram opinionis quam de eo conceperant, qui vera justificationis fundamenta tantum noverant, licet aliis erroribus circa Sacramenta, Missam &c. tenerentur, quos agnoscere, heu, non potuerunt.

(*) GALEACIO CARACCIOLO S.

Divi Pauli verba hæc, colendissime Domine, mihi consideranti: *Videtis enim vocationem vestram, fratres, vos videlicet non esse multos sapientes secundum carnem, non multos potentes. Verum quæ stulta sunt in mundo elegit Deus, ut pudefaciat sapientes: & quæ sunt infirma in mundo elegit Deus ut pudefaciat robusta: & quæ ignobilia sunt in mundo, & pro nihilo habita elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt aboleat:* Hæc inquam mihi consideranti, singulare Dei beneficium in mentem venit, quo te vera & incomparabili nobilitate, quam viva fide adeptus es, auxit. Hoc quanto majus est, tanto tibi sincerius Deo vivendum judico, ne spinæ, hoc est opes, voluptates, honores, Evangelii semen quod in te jactum est, suffocent. Licet certus sim Deum, magnum quod in te cœpit opus ad nominis sui gloriam perfecturum, hocque effecturum, ut quemadmodum antehac operam dabas ut inter nobiles emineres, illorumque decus ser-

Ll 3

vares

(*) Hanc Flamini Epistolam, quæ Italico idiomate exarata fuit, exhibet quoque, sed ex Camerarii translatione Vir Clarissimus mihiq; amicissimus J. G. SCHELHORN Amœnit. H. E. & L. Tom. II. p. 122. seqq.

vares, ita in posterum in eo totus sis, ut decus & dignitatem filiorum Dei tuearis; quorum est omni studio & conatu patris æterni perfectionem imitari, & hic in terris vitam illam sanctam & divinam, quam in cœlis traducemus, referre. Recordare perpetuo, mi Domine, quicquid dicas vel facias, nos præclaro isto beneficio affectos, ut Dei filii per Jesum Christum efficeremur. Hæc enim recordatio, ope Spiritus sancti, id in nobis efficiet, ne quid unquam Christi imitatione indignum committamus. Cui si placere studemus, necesse est hominibus displiceamus, & vanam mundi gloriam contemnamus, ut apud Deum gloria cœlesti fruamur. *Impossibile* enim esse ait Christus, *ut quis in Deum credat, qui hominum gloriam quærit*, hominum inquam, qui ipsa vanitate, ut regius Propheta ait, vaniores sunt. Non igitur ipsorum iudicium magni faciendum: sed Dei, qui non actiones tantum nostras, sed occultissimas etiam mentis cogitationes cernit. Hæc cum ita se habeant, non dementia, sed furor esset, Deo displicere velle, ut mundo placeas. Turpissima res esset, si sponsa aliis placere mallet quam sponso: quanto turpior si anima nostra aliis placere malit quam dilectissimo sponso Christo? Si filius Dei unigenitus, non infamia solum affici, & virgis cædi voluit, sed etiam in crucem tolli passus est, quid ni & nos hostium Dei irrisiones æquo animo perferamus, & sancta armati superbia eas rideamus, vel potius tantæ cæcitatatis, tanquam Christi membra, misereamur, Deumque oremus, ut eos ex densissimis tenebris in veram lucem trahat, ne Satanæ mancipentur, qui per satellites suos & emissarios Christum in membris suis persequuntur.

Quod

Quod tamen, crepet licet hostis, ad Dei Gloriam fideliumque salutem tandem cedat oportet. Hac firma fide qui præditus erit, facile carnis affectibus, colendissime mi Domine, mundo, & ipsi denique Satanæ resistet. Quare Patri nostro æterno supplices fiamus, ut fidem in nobis eam augeat, & dulcissimos felicesque in mentibus nostris fructus producere pergat, quos in prædestinatorum solet, ut fides bonis operibus fœcunda, non ficta, sed vera; non mortua, sed viva; non humana, sed divina sit; certissimum nempe æternæ nostræ beatitudinis pignus. Ostendamus nos legitimos Dei filios esse, dum id solum quærimus, ut sanctissimum ejus nomen sanctificetur, & ineffabilem ejus benignitatem imitemur, qui solem lucere facit supra bonos & malos: adoremus divinam ejus majestatem in spiritu & veritate; & cordis nostri templum tanquam optimam victimam Christo Jesu consecremus: quinimo tanquam vera pontificis cœlestis membra, carnem nostram sacrificemus, & cum concupiscentiis crucifigamus, ut ea mortua vivat Dei Spiritus in nobis. Moriamur in Domino, & libenter nobismet moriamur, ut Deo feliciter, & Christo Jesu vivamus; vel potius nos jam Christo mortuos, & ab ipso suscitatos agnoscamus, ut conversatio nostra cœlestis sit, & Dei in nobis imago luceat, quæ tanto in te, mi Domine, pulchrior erit, quanto opibus, genere, dignitate, & potentia præstantior es. O jucundum Christianis veris spectaculum, imo Angelis & Deo ipsi, tuæ dignitatis virum videre, qui suæ fragilitatem naturæ considerans, & rerum temporalium vanitatem, cum Christo dicat: Vermis, non homo

sum: & cum Davide clamet: *Respice me Domine & mei miserere, quia solitarius sum & inops.* O vere opulentum! qui ad hanc paupertatem spiritualem pervenit, atque omnibus quæ possedit ex animo valedicit, id est prudentiæ humanæ, doctrinæ, opibus, dignitatibus, voluptatibus, principum gratiæ, & sibi denique ipsi. Hic per Christum stultus mundo fit, & in medio divitiarum ex cordis affectu dicit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hic Christi afflictiones omnibus præfert voluptatibus & honoribus. Et quia cætera omnia præ Christi justitia & institutis contemnit, atque Spiritu Dei fruitur, & regitur, summa animi lætitia cum Regio Propheta canit: *Jehova est pastor meus; non est quod famem vel aliud metuam.* Ille me in herbidis pascuis pabulatum ad placidarum aquarum rivos deducit. Hic sibi & omnibus creaturis diffidit, ut Deo fidat, neque aliam sapientiam ambit, aliam potentiam, alias voluptates, aliam denique gloriam, quam solius Dei. Atque ideo cum eodem Propheta clamat: *Neminem in cælis præter te unum habeo, neque alium in terris cupio.* Consumpta est caro mea tui desiderio. *Deus hæreditas mea in sempiternum.* Qui hæc proferebat, Rex erat opulentissimus & potentissimus, neque tamen ullo potentiæ aut divitiarum amore oculos offuscari patiebatur. Sciebat enim omnia a Deo esse, & tanquam a Deo possideri, & ad ipsius gloriam distribui debere. Ideo idem regius Propheta David, divina hæc verba præsentem populo profert: *Benedictus Dominus Deus pater noster ab æterno in æternum: tua Domine magnificentia, tua est potentia, gloria & victoria. Omnia quæ in cælo & terra, tua sunt, tuum est regnum, tu supra omnes*

nes principes, tuæ sunt opes, tu omnium Dominus es. In manu tua sunt honores, dignitates & imperia. Ideo tibi Deus gratias agimus, & nomen tuum inclytum extollimus. Quis ego sum, quis populus meus, ut talia tibi promittere possimus? Sumus omnes in conspectu tuo peregrini & extranei, ut & Patres nostri. Dies nostri ut umbra fugiant. Perpetuo hæc tecum meditare, mi Domine, Deumque precare, ut tenuitatem tuam agnoscere tibi det, & incomprehensibilem ipsius potentiam, ut cum rege Davide humilem sub potenti divinæ majestatis manu te præbeas, solique Deo gloriam & potentiam tribuas; ut donorum, quæ non superbis, sed humilibus largiri solet, particeps fias. Non gloriatur, ait Dominus, sapiens in sapientia sua; Non gloriatur fortis in fortitudine sua; & non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, scire se & nosse me: quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & justitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus. Quod si tu igitur gloriari vis, noli te opulentum esse, plebeiorum more dicere, vel genere nobilissimum; hanc illis gloriam sine, qui mundi vanitatibus, carni & peccato adhærent: quin potius gloriare quoniam in regnum Dei intrasti; Deum tui misertum te ex densissimis errorum tenebris extraxisse, immensæ bonitatis divinæ agnitionem dedisse, atque ex iræ filio, Dei filium, ex vilissimo peccati fervo te nobilissimum cœlorum civem fecisse, per unigenitum filium suum Jesum Christum, quem tibi cum omnibus rebus donavit, ita ut quemadmodum divus Paulus ait: Omnia tua sint, mundus, vita, mors, præsentia denique & futura in Christo, & per Christum, unicam animarum nostrarum felicitatem. Hæc vera Christianorum gloria

est; qua Dei extollitur misericordia, & humana pedibus conculcatur superbia; quæ dum sibi nimis fidit, adversus Deum insurgit. Hæc gloria in summis etiam honoribus nos humiles reddit, in secundis modestos, in adversis patientes, in periculis fortes, erga omnes beneficos, consolatos in spe, ferventes in precibus, amoris divini plenos, nostri vero & eorum quæ mundi sunt vacuos, & veros denique Christi affectas & imitatores: Cui imitationi omnem curam & diligentiam adhibere debemus, & cætera tanquam fluxa & vana parvi facere omnia. Vides colendissime mi Domine, me magno tibi inserviendi desiderio incensum, ab instituto meo recessisse. Sum etenim meæ mihi inscitiae conscius, qui discipulum potius quam præceptorem agere; atque audire & discere potius quam docere debebam. Tuum erit ignoscere. Vale. Reverendissimus Legatus (*) benevolentiam qua te prosequitur, re ipsa, data occasione, testari discipit; interea te salutatur, ut & illustrissima Piscariæ (***) Princeps, alique qui mecum sunt nobiles, qui manus tibi deosculantur, Deumque devote precantur, ut is te, quanto bonis temporalibus, fundis, villis, oppidis ditior es, tanto Spiritu pauperiorem reddat, quo spiritualis inopia divinis & sempiternis bonis locupletissimum te reddat. Viterbi. d. XIII. Febr. An. XLIII.

Illustri tuo nomini addictissimus in Christo frater
M. Antonius Flaminius.

(*) Cardinalis POLUS.

(**) VICTORIA COLUMNA, Ferdinandi Davali Marchionis Piscariensis conjux. Vide de illa Paul. Jovium Hist. sui temp. Tom. I. Libr. III.

Ita in veritatis doctrina, & in via spiritualis vocationis Dei progrediebatur Galeacius. Sed quo animosius pergebat, eo vehementius exardescabant in illum tentationes Diaboli, qui per organa sua moliebatur, ut ab opere sanctissimo depelleretur, ut solet adversus illos, qui mundi vanitates relinquere, & carnis rebellionem edomare sibi proposuerunt. Conciliabat ei primo hic veræ religionis zelus apud plerosque irrisiones multas, calumnias, odia: Patri certe placere non poterat, ut qui contrariam plane viam insisteret, familiæ nempe suæ splendorem & dignitatem illustrandi & augendi; adde quod cum omnium hominum supersticiosissimus esset, graviter ferebat filium novæ sectæ addictum esse. Sæpe igitur ipsum obiurgabat & patrio jure minabatur, ut ab ejusmodi melancholicis imaginationibus (ita loquebatur) eum abstraheret; quæ res, dubio procul, ei, qui patri obsequentissimus semper vixerat, molestissima erat. Huic & alia molestia interior accedebat, conjugis scilicet, quæ, licet prudens admodum, mariti amantissima & officiosissima esset; quod tamen huic mutationi acquiescere nulla ratione posset, unde infamiam sibi familiæque metuebat, maritum variis vanisque sermonibus, querelis & lacrymis continue torquebat. Nec minima malorum pars erant Magnates illi Neapolitani, qui plerique Galeacio nostro partim sanguine, partim affinitate & amicitia juncti erant, qui sæpius, ut novis voluptatibus inservirent, conveniebant. Hos plane deserere, uti decebat, & contrariam sequi viam durum & difficile erat. Grave illi quoque erat in aula versari, quoties suo munere fungi necesse habe-

habebat, ubi quidlibet potius quam de religione, deque Dei Verbo vel minimum audiebat; colloquia vero de ratione crudeliter necandi eos qui a sede Romana recessissent, perplura. Hæc omnia ipsius animum mire angebant. Sed Sathanae hic impetus maximus fuit, quo conatus est eum a pura religione & sinceritate doctrinae seducere. Infestabant eo tempore regnum Neapolitanum *Ariani* passim & *Anabaptistæ*, qui hæreses suas interpolatas multitudini propinabant. Hi, quod viderent Galeacium S. Scripturae plenam cognitionem necdum assequutum, nihil non experti sunt, ut hominem falsissimis suis dogmatibus imbuerent. Ubi notandum singulare Dei opus. Hic juvenis erat, qui literis ex professo operam nunquam dederat, & nuper admodum in scholam hanc sinceræ religionis venerat. Quis sperasset eum literatis hisce viris in sacrorum librorum lectione diu multumque versatis restitutum? Nilominus sola veritatis divinæ simplicitate, Spiritusque sancti afflatu hæresium nodos illos non solum animadvertit, explicavit, & refutavit: sed se etiam illis congressibus in salutis doctrina confirmavit. Hanc multo periculosior pugna subsequuta est. Erant VALDESII, de quo paulo ante, discipuli Neapoli numero quamplures, quibuscum Galeacius quotidie versabatur ob studiorum similitudinem. Hi in veritatis Christianæ cognitione ulterius progressi non erant, quam quod justificationis articulum intelligerent, aliquosque Papatus abusus fugerent; frequentabant interea templa, missas audiebant, ordinariis idololatriis intererant. Hos ipse aliquamdiu sequutus est, iter, quod dubio procul eum, ut plerosque alios
qui

qui religionis causa capti, quod cæteris iisque præcipuis fundamentis carerent, facile palinodiam cecinerunt, & nihilominus, tanquam relapsi, ultimo postea supplicio crudeliter affecti fuerunt, perdidisset. Sed aliter divinæ providentiæ visum erat. Nam munus, quo in Cæsaris aula fungebatur, eum a Valdesianis suis avulsum in Germaniam traxit, ubi dignoscere cœpit, non sufficere ad salutem Justificationis articulum recte intelligere, & interim se idololatria, quam fornicationem spiritualem Scriptura S. vocat, inquinare. A nemine vero plenius quæ ad viam salutis pertinent hausit, quam a PETRO MARTYRE, cujus ante mentionem fecimus, qui ipsi eam stravit & complanavit. Is tum *Argentinae* puram Theologiam publice profitebatur. Sanctissimis igitur hisce præceptis instructus Neapolim rediit: ubi cum inter alia, de Idolomania fugienda Valdesianis quædam proponeret, ab ipsis vix auditus, & mox derelictus fuit; quod doctrinam illam probare nequirent, quæ nobis afflictiones, persecutiones, bonorum & honorum amissiones, patriæ, domus, familiæque desertionem, & sic statum miserrimum ob oculos ponit. Magna quoque hæc Sathanæ tentatio, ut illis abutibus involutus maneret: sed Deus, qui æterna prædestinatione eum elegerat, ut singularis constantiæ exemplar esset in multorum ædificationem ceterorumque confusionem, eum tam forti animo dotavit, ut adversus hosce omnes Sathanæ insultus tandem victor evaserit. Neque hic omitenda, quæ homini de re tam gravi deliberanti in mentem veniebant. Nam primo quoties patrem intuebatur, quod singulis fere horis fiebat, a quo
sum.

summe amabatur , quem summa vicissim reverentia colebat , toties de discessu cogitans , incredibili , dubio procul , dolore afficiebatur , ut qui animo suo hæc circumvolvebat : Itane patrem deseram ? O calamitosum & infelicem patrem ! quod enim gravius aut acerbius vulnus accidere potuisset , quam unico senectutis scipione privari ? Itane ipsum omnium ærumnosissimum reddam ? pariet hic meus discessus non mihi tantum ; sed ipsi quoque , imo toti familiæ infamiam . Poteritne bonus senex tanto dolori resistere ? ergo ego patri mortis causam præbebo , qui sua ipsius morte , si quo modo data facultas esset , meam redemisset mansionem ? De uxore non minus acerbæ cogitationes erant , quæ juventute florebat , prudens , supra fidem viri pudorisque amantissima . Siccine , ajebat , omnem oblectationis causam , carissimam conjugem , curarum , laborum , cogitationum omnium comitem derelinquam , non ad tempus , ut olim quum in Cæsaris aulam vocabar : sed in perpetuum ? quid aget misella ? quot infomnes ac miseras noctes traducet ? Illa se macerabit , lacerabit , conficiet . Hæc cum secum Galeacius reputaret , jam videbatur uxoris squalorem , gemitus , singultus lacrymas , ante oculos habere , & tales audire voces : Ah mi vir quo profectus es ? quare me miseram deseruisti ? quid agam sine te ? Hiccine amor quem toties prædicabas ? At saltem discessus tui causam indicares , quæ forsitan & me permovisset . Jam quis alius istius tuæ ambitionis fructus esse poterit , quam quod omnibus etiam vilissimis quibusque contemptui futura sim ? Nam posthac digito tanquam infamiæ subjectum monstra-

Arabor. Hæc & alia ejus animum mire affligebant, tum vel maxime quod ignem hunc, qui intus æstuabat, tegere, discessumque dissimulare cogebatur, ne impediri posset. Tertia ægritudo, liberorum erat, numero sex; qui ea ætate nondum erant, ut infortunium suum agnoscere possent. Natu maximus decimum quintum, minimus vero quartum non excedebat annum: quos unice amabat, & a quibus debito honore vicissim colebatur. Mirum dictu est, quoties uxor, uti fit, minimum ei natum offerebat, quo pacto lacrymarum rivos continere potuerit, animo præsertim versans; hos ego liberos brevi in æternum deferam, tanquam si nec ego illorum pater, nec ipsi mei liberi unquam fuissent. Quid de misellis patre orbatis fiet? quamnam dignitatem, quas opes sperare unquam poterunt, si meo egomet discessu viam eis præclusero honorum, infamiæ autem omnis generis januam aperuero? Possent & aliæ quam plures tentationes, quæ tamen prioribus conferri nequeunt, recenseri. Exempli causa, a consortio propinquorum, magnatum illorum & nobilium avelli, tam illustri dignitatis gradu dimoveri, dulcissimam patriam relinquere sine spe, exilium, infamiam, inopiam & plura incommoda prævidere, & summis, quibus innutritus erat, deliciis valedicere, præcipue vero patris Marchionis horto amplissimo, nec tam domesticis, quam peregrinis omnis generis plantis excultissimo, ad quem videndum multi ex remotissimis etiam locis undique concurrebant. Hæc hominis incredibilis constantia erat. Sed unde quæso dicemus immotam hanc mentem derivasse? Si humanam rationem consulas, arbitraberis humo-

humores melancholicos hominem iudicio suo, affectibus naturalibus, imo sensu communi spoliasse, atque hinc obstinatam illam voluntatem processisse. Verum si oculos altius attollas, animadvertes singulari id Dei dono, qui ipsum ab æterno elegerat, factum, ut ad omnem casum erectus, uno tenore æquabilis manserit, & Sathanæ conatus, carnisque affectus irritos redderet, dum secum ita ratiocinaretur; Tu Deus me ex densissimis ignorantiae tenebris extraxisti, divinaque Spiritus tui luce, veritatis cognitione illuminasti, veramque salutis viam monstrasti: tibi igitur consecratus sum, te sequar, tibi obediam, viamque voluntatis tuæ insistam, quocumque me duxeris. Non pater, non conjunx, non liberi, non honores, non dignitates, non opes, non deliciae me vel tantillum remorabuntur quin vocem tuam sequar. Vides optime Deus, quam promptus animus meus, quamque scintilla clarissimi & purissimi ignis tui inflammatus sit. Sed vides etiam, quot me hostes circumdederint, quot impedimenta, quæ me vix movere, nedum caput attollere sinunt. *Ego jam in profundis illis versor*, unde ad te clamabat regius Propheta David, *Libera me Domine*. Quamvis autem Sathanas carnisque meæ affectus me absterreant, dum mihi crucem, infamiam, paupertatem, & omnis generis misérias ob oculos ponunt, nihilominus majestatis & infinitatis tuæ contemplatione erectus, crucem beatam & gloriosam prædicabo, quæ me capiti meo & Domino Jesu Christo conformem facit, infamiam felicem dicam, quæ nos in veræ gloriæ via locavit: paupertatem vero desiderabilem vocabo, quæ bonis quidem nonnullis

tem-

temporalibus me privavit, sed hæreditate cœlesti, qua nihil preciosius, me donavit, id est te ipso, sempiternæ Deus, per unigenitum Filium tuum Jesum Christum, ut in æternum tibi junctus vivam. O felices miseras, quæ me a mundi hujus corruptelis avellunt, ut cœlesti gloria fruam! Hisce & similibus Sathanæ insultus, carnis omnes affectus, & mundum ipsum tandem superavit, atque verissimum illud de electis Divi Pauli reipso ostendit, *qui carnem cum concupiscentiis crucifixerunt, in Christo crucifixi sunt, ut ipse mundo.* O Sathana, quam vani tui conatus evaserunt? frustra, frustra inquam, eos aggredieris pro quibus Christus mori & in ligno crucis pati voluit; ubi ita potentiam tuam fregit, ut ne illorum minimo quidem capillo nocere possis. Super petram robustam solida stabilitate fundatus erat Galeacius, ita ut non dico aura levi, sed nec vento, nec turbine commoveri posset, quo tempore magna solitudine, animique lætitia tanquam victor patria discedere constituit. Qua re cum paucis ex familiarioribus communicata, hoc effecit, ut se in spontaneo hoc & christiano exilio comites futuros, ut conscientia libertate in Dei vera Ecclesia frui possent, sponderint. Sed quam profunda & imperscrutabilia Dei judicia sint eventus postea docuit. Nam illorum nonnulli, qui ferventiore gloriae Dei Zelo ducti videbantur, ad Italiae fines cum pervenissent, retrospicere primum, deinde retrogredi cœperunt, & sic ad vomitum reversi sunt. Quam erga Deum ingratitude justa pœna subsequuta est. Nam ab Hispanica Inquisitione capti, vera religione publice abiurata, infamia notati fuerant. Hæc desertio Galea-

cium dubio procul non parum affecit, quod se ab iis derelictum videret, ex quorum consuetudine solatium sperabat magnum. Sed ut ad rem: Galeacius collectis ex materna substantia duobus plus minus aureorum millibus, re diffimulata, ne patris auctoritas ullum huic tam sancto conatui impedimentum afferre posset, XXI Martii anni Christiani MDLI, ætatis vero XXXIII, Neapoli discessit, tanquam ad Cæsarem in Germaniam profecturus, qui tum Augustæ erat, hæsit ibi muneri suo inserviens ad XXVI usque Maii ejusdem anni, quo aula relicta, pro Belgio, quod se adire velle dixerat, Genevam petiit. Eo venit VIII Junii. Qua in urbe præter LACTANTIUM RANGONIUM, nobilem Senensem, cujus consuetudine in patria usus fuerat, qui tum purum Dei verbum in Italorum Ecclesia docebat, notum sibi reperit neminem. In hunc igitur tam tranquillum portum quum se appulsum cerneret, ubi a mundi corruptelis, & Antichristi abominandis superstitionibus cum libertate conscientie vivere dabatur, JOHANNI CALVINO, præcipuo Ecclesie illius doctori, se in disciplinam tradidit; a quo; ut erat acerrimo judicio, ob vitæ innocentiam, veram integramque pietatem, multiplicem rerum usum, & animi moderationem, humanissime acceptus fuit. Prævidebat enim vir prudens, fore ut hoc instrumentum ad propagationem Dei gloriæ, multorumque, Italorum imprimis, ædificationem summe inserviret. Inter hosce viros tam arcte contracta amicitia, in annum usque MDLXIII, qui Calvino ultimus hujus peregrinationis & primus cœlestis requiei fuit, continuata est; quod Ecclesie illius membra publice

lice testari possunt. Sed extat etiam ipsius Calvini singulare hac de re testimonium in præfatione, qua ei commentarium suum in primam ad Corinthios Epistolam inscribit. Quam, ut quanti eum Calvinus fecerit appareat, hic inferendam censui.

GENEROSO VIRO,

Virtutumque præstantia magis quam genere Illustri
 D. GALLIAZO CARACCIOLO,
Marchionis VICI unico filio & legitimo heredi S.

UTinam quo primum tempore in lucem prodiit hic Commentarius, vel mihi ignotus, vel saltem probe notus fuisset (*) ille, cujus nomen huic paginæ hætenus inscriptum nunc delere cogor. Equidem non vereor ne mihi inconstantiam exprobret, vel sibi queratur eripi quod datum fuerat, quando hoc ipsum de industria venatus, ut non modo privatim a me alienissimus foret, sed nihil haberet cum Ecclesia nostra commune, nullam sibi exoptulandi causam residuam fecit. Sed morem meum invitus muto, ut cujusquam nomen e scriptis meis eradam: & doleo hominem a specula, in qua locatus a me fuerat, discessisse, ne ex animi mei voto aliis præluceat. Cæterum quia in manu mea non est ejus mali remedium, sepultus per me lateat ipse, cujus honori nunc quoque tacendo parcere studeo. Apud te vero, clarissime vir, excusatio quærenda esset, cur nunc

M m 2

te

(*) Quis ille fuerit, cui primum hunc Commentarium inscripserit Calvinus, & cujus nomen in repetita editione non sine indignatione proscripserit, manifestum erit ex iis, quæ infra huic Vitæ subijcere visum est.

te in istius locum substituam, nisi tua incredibili humanitate, & amore erga me tuo, omnibus amicis nostris perspecto fretus, libere mihi hoc permetterem. Atque ut ad vota iterum revertar, utinam mihi ante decennium esses cognitus: nulla enim novandi ratio nunc fuisset. Quod ad commune Ecclesiæ exemplum spectat, bene habet quod non modo jactura carebit illius quæ nobis subducta est personæ oblivio; sed longe uberior, modisque omnibus potior in te compensatio succedet. Etsi enim neque tu plausum theatri appetis, uno teste Deo contentus; neque mihi propositum est laudes tuas narrare: quod tamen cognitu utile est ac fructuosum, non prorsus celandi sunt lectores; Hominem primaria familia natum, honore & opibus florentem, nobilissima & castissima uxore, numerosa sobole, domestica quiete & concordia, totoque vitæ statu beatum, ultro, ut in Christi castra migraret, patria cessisse, ditio- nem fertilem & amœnam, lautum patrimonium, commodam non minus quam voluptuosam habitationem neglexisse; exuisse splendorem domesti- cum; patre, conjuge, liberis, cognatis, affini- bus se privasse: Postquam autem tot mundi ille- cebris valedixit, nostra tenuitate contentum, fru- galem ac popularem vivendi rationem non secus colere atque unum quemlibet ex nobis. Quan- quam hæc aliis recito, ut privatum quoque usum minime præteream. Nam si tuas virtutes hic tamquam in speculo lectorum oculis ideo subjicio, ut se ad eam imitationem forment, me, cui pro- prius sunt perspectæ, quotidiano & liquido earum intuitu non magis ad vivum affici turpe esset. Cœ- terum quia & ego quantum ad fidei meæ pietatis-
que

que confirmationem valeat tuum exemplum ex-
 perior, & non vulgarem inde se profectum sen-
 sisse mecum fatentur quotquot hic agunt filii Dei,
 operæ pretium fore duxi si mea prædicatione
 similis longius manaret utilitas. Alioqui insulsum
 foret de laudibus hominis, cujus natura & inge-
 nio nihil magis ab ostentatione remotius fingi
 potest, etiam apud exteros & procul dislitos ver-
 ba facere. Itaque si complures, quibus propter
 longinquitatem hæctenus fuisti ignotus, hoc ad-
 mirabili documento proposito, relictis nidis, qui-
 bus nimium sunt affixi, ad imitationem se accin-
 gent, uberem meæ scriptionis fructum adeptus
 ero. Id quidem inter Christianos plus quam com-
 mune usitatumque esse debuerat, non prædia mo-
 do & arces & principatus æquo animo relinque-
 re, ubi aliter Christum sequi non licet: sed etiam
 alacriter libenterque præ ipso despiciere, quicquid
 sub cœlis pretiosissimum ducitur. Sed quæ no-
 stra omnium tarditas, vel potius socordia est,
 dum frigide multi doctrinæ Evangelii annuunt,
 vix centesimus quisque ejus causa, si prædiolum
 nescio quod possideat, ab ipso avelli se sustinet.
 Vix quisquam, nisi ægerrime, ut minimis com-
 modis renuntiet adducitur: tantum abest, ut se
 vita abdicare parati sint, ut decebat. Inprimis
 vero cunctos in sui abnegatione (quod est vir-
 tutum omnium caput) optarim tui esse similes.
 Mihi enim optimus testis es, & ego vicissim tibi,
 quam parum nos oblectet eorum consuetudo,
 qui tandem ostendunt, relicta patria, eosdem
 quos illic gerebant affectus se huc attulisse. Sed
 quia lectores plura secum reputare præstat, quam
 verbis exprimam: jam me ad preces converto,

ut Deus, qui te mirifica Spiritus sui virtute hucusque animavit, invicta constantia ad extremum usque instruat. Nam & quantis certaminibus te exercuerit Deus, me non latet; ex quibus, pro tua singulari prudentia, colligis duram adhuc & laboriosam militiam tibi restare. Quam vero necesse sit manum e cœlo nobis porrigi, ipse multis experimentis edoctus perseverantiæ donum ultro mecum inde exposces. Ego vero Christum Regem nostrum, cui a Patre data est summa potestas, & penes quem depositi sunt omnes spiritualium bonorum thesauri, precabor, ut incolumem te diu nobis conservet, in propagationem regni sui, atque in te de Satana ejusque factione triumphare pergat. IX. Cal. Febr. MDLVI.

Tam inopinati discessus, spontanei que exilii rumor omnes, qui tum Neapoli, & in Cæsaris aula versabantur, plus quam dici potest commovit, imo stupore affecit, quum alii aliter, prout hominum judicia varia sunt, hac de re sentirent: sed suos inprimis ita perculit & consternavit, ut clamores, lacrymæ, & querelæ indefinenter audirentur, domum illam maxima ruina oppressam dixisses. Plena omnia perturbationum, plena miseriarum. Nemo tamen majoribus doloris facibus incendebatur & discruciabatur patre Marchione, cui ætas provector & experientia infamiam, squalorem, & totius pene familiæ everisionem ob oculos ponebant. Primo nihilominus tam gravis mœstitiæ impetu sedato, cœpit miser & ærumnosus senex de remediis, quibus tantæ quæ imminabat ruinæ resisteret, cogitare. Occurrit inter alia, quod Galeacio nostro gravissimarum aliquamdiu

diu tentationum causam præbuit, istud. Erat ei patruelis, quem Galeacius fratris loco mirifice semper dilexerat: hunc cum literis & mandatis querelarum obtestationumque plenis, ut domum rediret, ut ærumnosum patrem, conjugem infelicissimam, calamitosos liberos, mœstos denique propinquos, totamque Neapolim consolaretur, & reditu suo familiam, quæ ad extremam vergebat ruinam, erigeret, Genevam ablegavit. Habitabat tum forte Galeacius in humili casa, quam sibi coëmerat, duorum tantum famulitio contentus. Primi amplexus præter suspiria, luctum & lacrymas, quæ ab utraque parte fundebantur, nihil habuerunt. Impossibile illis erat primis horis de re ulla sermonem instituere. Sed tandem patruelis mandata exposuit, quibus exhortationem, preces efficacissimas, sed & lacrymas addidit: postremo, ei totius domus everSIONem, patris Marchionis immensum dolorem, conjugis carissimæ desperationem, propinquorum amicorumque mærorem ob oculos posuit. Responsum breve fuit, in hanc sententiam: Se non temere aut inani aliqua opinione ductum; sed maturo id consilio fecisse, quod ipsius Dei gratia niteretur, qui mentis suæ oculos veritatis cognitione ita illuminaverit, ut Papatus fraudes, superstitiones, & idololatriam, quæ gloriam Dei sacrilega laceratione inter fictitia idola ad animarum perditionem distribuit, optime dignosceret. Omnes se infamias & suorum mærores, squalores, damna, & ruinas; omnia denique quæ conversionem hanc sequi poterant, prævidisse: sed cum alterutrum eligendum foret; aut domi dira errorum congerie Sathanæ artibus conflata, contra con-

scientiam involutum manere, & adversus Dei majestatem singulis momentis, infinitis prope modis peccare; aut patriam, suos, & mundum ipsum cum dignitatibus deserere, ut secundum conscientiae libertatem sine Dei offensa viveret: maluisse se cæteris omnibus oculos claudere, & Christi Salvatoris nostri voci obedire; *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, atque adeo animam suam, non potest meus esse discipulus.* Ideo se parentes, conjugem, liberos, & propinquos deseruisse, omnibusque dignitatibus atque opibus renuntiassè. In satis magna dignitate constitutum, sat opulentum, satque beatum esse se in illo tuguriolo, cum paucis illis famulis, quamdiu daretur in vera Dei Ecclesia vivere, Deo pure inservire, verbum Dei sine superstitionis hominum commentis audire, sincera sacramentorum celebratione frui, cum piis versari, a Deo optimo accepta tot beneficia noctesque diesque meditari, & sic cum summa animi voluptate & tranquillitate ad gloriam illam immortalem, quam Christus Jesus suis præparavit, aspirare. Non expectatum hoc responsum, durum admodum patrueli visum fuit: sed quum argumentis nullis instare posset, & difficile, imo impossibile esse videret, hominem a firmo hoc suo proposito, quod non ratione ulla humana, sed solo Dei verbo & vocatione nitebatur, dimovere, domum redire statuit. Discessit itaque, sed non sine utriusque magno iterum luctu & lacrymis. Erat enim inter ipsos ob diuturnam consuetudinem, morum similitudinem, sanguinisque vinculum, conflatus amor sincerus. Neapolim reversus dolorem suis plurimum auxit; eo magis quod

quod de Galeacii, tamquam rei majestatis divinæ, bonis maternis fisco attribuendis, deque successionis jure in feudis paternis non ipsi solum, sed & liberis adimendo, tum forte ageretur. Quod Marchionem, miserum & ærumnosum senem, ut ad Cæsarem proficisceretur, & huic malo, si fieri posset, occurreret, hocque saltem impetraret, ne filii a Romana Ecclesia discessus, nepotum successioni aut honori præjudicaret, permovit. Dum hæc animo versat, aliud ei remedium in mentem venit, quo filium a proposito dimoveret, iisque, quos mundus hæreticos judicat, subtraheret. Misso itaque famulo cum literis ad filium, ei pro imperii paterni jure mandat, ut Veronam Venetorum, qua ipse ad Cæsarem tendens iter facturus erat, die præfixa veniat, publica tamen a Venetis fide prius ad id impetrata. Patris tam justæ voluntati quum se contradicere non posse animadverteret Galeacius, annuit; quamvis ex hoc congressu patris animum magis exacerbatum iri metueret: stabat enim sententia a via semel inita non recedere. Geneva ergo XIX Aprilis, M. D. LIII. divina armatus fortitudine & constantia, & verbi Dei gladio accinctus, ut pugnas & insultus, quos prævidebat, sustinere posset, Veronam discessit; ubi Marchionem patrem reperit: a quo, licet vultu mœrorem internum dissimulare non posset, humanissime exceptus fuit, cæptumque ibi de reditu in patriam omni conatu agi, adjecta ad vivum demonstratione infamiæ perpetuæ, quæ familiam illam subsequutura erat, ni Galeacius, quod facile poterat, & jure debebat, si quid naturalis affectus in eo reliquum fuisset (ita loquebatur) tanto malo mederetur. Re-

spondet qua par est reverentia filius, se salva conscientia a proposito dimoveri nulla ratione posse. Addit causas, rogatque patrem humiliter, quando Dei tantum obedientiam, & animæ suæ salutem quærat, ne ipsum cogat majorem hominum, familiæque commodorum, quam gloriæ Dei rationem habere. Animadvertit statim Marchio frustra se filium a sententia tam firma, quam ipse pertinaciam judicabat, revocare conari. Communicata igitur ei suæ ad Cæsarem profectiois causa, severe ei, ne Genevam, priusquam quod a Cæsare petebat impetrasset, proficisceretur, sed tantisper in Italia maneret, injunxit. Quod a filio promissum & præstitum est: Mansit enim in Italia ad mensem usque Augustum, quo patrem, Cæsaris gratiam expertum esse intellexit. Dum autem ibi moraretur, HIERONYMUS FRACASTORIUS Philosophus, medicus & poëta insignis, Marchionis instinctu multis ei persuadere ut patri obediret: addebat novam sectam fictam, astutissimis fraudibus plenam esse. Huic prudenti licet & doctissimo viro, sola verbi Dei simplicitate nisus ita satisfacit ut obmutesceret, & tandem etiam ne importunitatem illam ægre ferret, rogaret. Reversus itaque Galeacius animo plane quieto, quod patrem metu infamiæ publicationisque bonorum liberatum, ac proinde minus sibi insensum crederet, cœpit, ne otiosus viveret, de politia in Italorum Ecclesia (quam plures enim familiæ puræ religionis causa jam eo confugerant) instituenda serio cogitare. Accidit autem peropportune, ut CALVINO illis diebus Basileam negotiorum causa proficiscenti comitem se junxerit, ubi CELSUM, (*Maximiliano* huic nomen verum erat,
ex

ex illustri *Martinengorum Comitum* familia oriundo) qui inter pontificios magnum sibi nomen ex facultate dicendi conciliarat, & tunc ex luto superstitionum pontificiarum evaserat, reperit. Huic ut relicta quam meditabatur Anglia, Genevam, ubi ceterorum Itatorum consortio, & Calvinii imprimis, quam plurimumque piorum consuetudine dulcissima frui cum libertate conscientiae dabatur, proficisceretur persuasit. Genevam ut reversi, politicae forma, quae etiamnum floret, & peculiari libro inserta asservatur, CALVINO dirigente constituta est in Itatorum Ecclesia: cujus pastorem electus est, quem modo nominavimus, COMES MAXIMILIANUS, ut purum Dei Verbum exponeret, Sacramenta a Christo instituta celebraret, & gregi illi invigilaret. Juncti ipsi fuere seniores, (sic eos Sacra pagina vocat) quibus Ecclesiae puritatis doctrinae & sincerae pietatis cura demandata erat. Inter hos praecipuum obtinebat locum GALEACIUS: cui tam utilis hujus instituti, quod ad alios etiam non sine fructu manavit, honos vel ideo praecipue debetur, quod auctoritate, vigilantia & diligentia sua, id firmae instar columnae, quamdiu vixit, conservavit. Hisce successit annus M. D. LV. quo novis strategematis ipsum aggressus est Sathanas. Nam cum eo tempore Galeacii avunculus magnus, cujus ante mentionem fecimus, ad Pontificatum pervenisset, in spem venit Marchio posse hac occasione filium, si non ad pristinum statum, ad aliam saltem urbem, aliam vitam, tutioremque conversationem revocari. Cum igitur Mantuam proficisci necesse haberet, filio iterum ut eo se conferat, mandat, misso commeatu. Is patris volun-

voluntati obediens , XV Junii Mantuam ad patrem proficiscitur : a quo majoribus quam solitus erat benevolentiae signis excipitur. Rei summa hæc erat : Obtinuisse se ei a summo Pontifice indultum , quod sibi suæque decrepitæ ætati summo solatio futurum sperabat , potestatem in quavis ditionis Venetæ Urbe libere citra ullam religionis vel conscientiae molestiam habitandi. Hisce bonus senex , ut sibi hac in re gratificari vellet , preces ex paterno affectu ductas addidit , multisque præterea rationibus eum hortatus est , ne hanc Pontificis non exiguam gratiam sperneret , qua non mutato proposito , commode vivere , pristino honori restitui & omnium tam exterorum quam propinquorum laudem mereri poterat , vel ob unicum patri obsequendi studium , cui hoc non natura tantum , sed lege quoque divina debebat , eo magis quod citra religionis vel conscientiae suæ præjudicium id facere posset. Marchionis hæc oratio varie filium affecit : talia enim quæ proposuerat videbantur , ut iis jure contradicendum non esset. Accedebat patris præsentia & auctoritas , reverentia , verborum efficacia , naturalis denique obligatio , qua filius patri , in rebus præcipue licitis & adiaphoris , cum nulla conscientiae labes inuritur , obedire tenetur. Non minus ei tentationis adferebant carnis affectus , qui homines sæpenumero prostrernere solent. Offerebat ei pater redditus annuos generi & dignitati conformes , liberorum solatium , conjugis consortium , quæ nihil magis expetivisset. Ad hæc Galeacius perplexus & animo anxius aliquamdiu mansit , tum vel maxime quod fideli amico , quem in re tam gravi consuleret , care-

ret.

ret. Impium videbatur tam justæ patris petitioni locum non dare ; & qua ratione citra patris iram ei contradicere posset , viam non reperiebat. Ad verum igitur sapientiæ & constantiæ fontem Deum , (O quam felix est quisquis Jehovam veretur ! docet enim eum quam viam inire ipsum oporteat ,) precibus ferventissimis cum confugisset , animadvertit nulla ratione , ejus qui Christo , Ecclesiæ & Evangelio suo tanquam Antichristus bellum indixit , favorem implorandum : habiturum id abnegationis speciem , a Christi scilicet Ecclesia & piorum consuetudine recedere , ut cum idololatriæ in medio abominationum vivas. Versabatur ei etiam ob oculos scandalum quod in fidelium animis pariturum esset hoc consilium , qui existimaturi erant spiritualibus ipsum benedictionibus , quas Deus in Ecclesia suis distribuere solet , valedixisse , ut secundum carnis affectus vivere posset. Sed & quo tenderet pater dignoscebatur , ut scilicet hac ratione honoribus , dignitatibus , commodis , mundanis amicitiiis , & deliciis animum ipsius mulceret , adeoque deliniret , ut pietas in ipso paulatim minueretur , & ad mundi hujus splendorem , tanquam ad calorem liquefieret & evanesceret. Obtinuit præterea Galeacius precibus suis Spiritum Sapientiæ in paternis rationibus solide refutandis , ut tandem , ægre licet , acquiescere cogeretur. Nam inter alia majorem in modum ipsum rogaverat , ne ad id adigeret , cujus eum in æternum poenitere posset ; ne ipsum tanquam prædam iis objiceret , qui hanc sanxerant multisque exemplis confirmaverant legem , iis quos hæreticos judicant , fidem servandam non esse. Neapolim
igitur

igitur mœroris plenus reversus est Marchio, & in reditu filii pertinaciam Pontifici exposuit. Galeacius vero aliquo usque patrem comitatus, Ferrariam venit: ubi a FRANCISCO PORTO, literarum gloria celebri viro, qui postea Genevæ per plures annos, magna cum laude, auditorumque profectu literas Græcas publice docuit, ad illustrissimam Ferrariæ ducem introductus, ab ipsa humanissime exceptus, & post varios de religionis mutatione, de itinerum successu, de Calvino, de Ecclesia Genevensi, variisque veræ religionis capitibus sermones habitos, summa comitate dimissus est. Nam & proprio tantæ principis curru Francolinum vectus est: unde secundo Pado Venetias profectus, per Rhætiam Genevam rediit, Octobris XIII, suoque reditu amicos totamque adeo Ecclesiam incredibili gaudio replevit. Sæva hac tempestate præterita sequutus est vehementissimus paroxismus, quo tanti viri constantiam infringere conatus est Sathanas; sed frustra. Ardebat VICTORIA conjunx plus quam dici potest amore mariti. Quare ad eum scribere, eumque ad reditum hortari quotidie non cessabat, sed quum vanas hasce scriptiones experiretur, maximis tandem precibus ab ipso contendit, ut se in aliqua ditionis Venetæ, & regno Neapolitano vicinæ, urbe invisat. Acquievit Galeacius huic conjugis desiderio: sed fines quo tendebant, diversi erant. Illa se precibus, lacrymis & blanditiis reditum marito persuasuram sperabat: ipse contra, qua ratione ad secum vivendum uxorem induceret, eamque ex Pontificatus cœno traheret, animo versabat. Uxor itaque Vicum; ipse Lesinam Dalmatiæ Vico è regione venit. Distat hæc
Urbs

Urbs Vici Marchionatu centum milliaribus Itali-
cis : sed interlabitur mare. Expectabat ibi Galea-
cius conjugem : ita enim convenerat. Verum
emanſit tunc , nec impedimenti cauſa ſciri po-
tuit. Miſit nihilominus patri , natu majores fi-
lios duos ; quorum quidem aduentus gratus fuit ;
ideo tamen triſtior , quod videret fruſtra ſe tam
longum iter ſuſcepſiſſe. Dimiſſis igitur paulo poſt
filiis , Genevam rediit. Vix eo advenerat , quum
novæ ei a conjugè literæ adferuntur , quibus ne
ad eundem locum redire gravaretur , iterum ro-
gabatur : ſe quoque eo venturam ſanctè promit-
tebat. Grave erat Galeacio , corpus mentemque
tam longis periculofisq; itineribus defatigare. Uni-
cum tamen ut eo inclinaret , faciebat. Exiſtima-
bat ſe Neapoli diſcedentem ſibi ipſi deſuiſſe , quod
non conatus fuiſſet uxorem ſecum ducere , ex-
planatis ipſi prius purioris doctrinæ Chriſtianæ ca-
pitibus , ex quibus veræ religionis guſtum ali-
quem forte cepiſſet. Impetrato igitur Curix Rhæ-
torum jure civitatis , ut tutius ire redireque poſ-
ſet , VII. Maji , M. D. LVIII. Geneva diſcedens
Leſinam venit : ubi intellexit Marchionem patrem ,
conjugem , liberos , eumque , de quo initio men-
tionem fecimus , patruelem , Vicum jam perve-
niſſe ; verum ob fidem a Veneto quodam navi-
culario non ſervatam , aliasque navigantium diffi-
cultates , mare trajicere necdum potuiſſe , qua-
re ne diutius eo loci ſuſpenſus animo maneret ,
ſtatuit ipſe Vicum proficiſci , magna id ſane fidu-
cia ob evidens periculum aggreſſus ; ſed quæ cer-
ta divinæ protectionis ſpe nitebatur , ut qui non
carnis ullos affectus , ſed ſolam Dei gloriam , ejus-
dem vocationem & propinquorum ſalutem ſibi
ob

ob oculos poneret. — Navi igitur ad littus prope Vicum appulsa, patri id Marchioni notum facit: qui liberos confestim famulosque ei obviam mittit. Exprimi non potest, quantum reditus hic illustri illi familiæ gaudii attulerit, & quantopere propinquorum tristi cura & mærore confectum animum ad spem quam abjecerant revocarit: sed inter cæteros omnibus lætitiis incedebat uxor VICTORIA, quæ carissimum virum unicum vitæ solatium, se recuperasse putabat. Solius Galeacii gaudium animi quadam sollicitudine, qua dies noctesque angebatur, temperatum erat. Prævidebat vir prudens eandem ipsam qua fruebantur voluptatis usuram brevem futuram: non enim ea qua putabatur de causa venerat: quin etiam multa ei in mentem veniebant, quæ metum non exiguum incutiebant. Sæpius postea familiaribus narrare solebat, se totos illos dies trepido semper animo carcerem aliquem sævissimum, in quem conjectus vitam sine ullo amicorum, sacræve lectionis solatio misere traduceret, summe reformidasse. Sed ut ad rem, primis diebus hilari vultu, multis lætitiæ signis editis acceptus fuit. Verum cæpit haud multo post summa hæc hilaritas in summum mærorem, luctum & lacrymas verti. Nam cum patri Marchioni animum intuenda vera religione obfirmatum aperuisset, gemitibus & clamoribus horrifonis causam præbuit. Egit posthæc cum conjugē, ne se maritum sequi secumque vivere detrectaret, promittebat ei liberam religionis suæ Romanæ professionem. Addebat se ab ea quam semel amplexus erat religione, & cujus nomine patriam, propinquos, & cetera dereliquerat, non recedere firmo animo

sta.

statuisse. Hic lectori cogitandum relinquo, quanto animi dolore & quantis singultibus uxor misella talia audierit, tum vel maxime quod cerneret frustra se ei mansionem persuadere conari. Respondebat nihilominus, se nunquam eo profecturam, ubi alia quam Romana religio vigeret, nec cum ipso victuram, quamdiu illis hæresibus involutus maneret. Non prætermittendum hic est, quod ipse cum intimis suis postmodum communicavit, eam maritali conjunctioni assentiri nulla ratione voluisse, quod diceret id sibi a sacerdote sub excommunicationis pœna expresse inhibitum. Hæc pectus dubio procul transfigebant: sed magna animi constantia amarus hosce dolores deglutiebat. Ulterius itaque ad id quod sibi proposuerat progressus, manifeste ei denuntiat, ni maritali, quem Deus ipse præcipit, convictui & consuetudini consentiat, fore ut divortio causam præbeat. Quamvis autem hæc protestatio uxoris animam plusquam dici potest, affligeret: ab eo enim hæc dicebantur quem ipsa suis mage oculis amabat: nihil tamen apud eam effecit, quod ad terrorem tantum ista dici putabat. Cum igitur mestissimos ire dies sine fructu ullo vel spe videret; iterata uxori protestatione discedere constituit. Ubi discessus dies venit, patri Marchioni valedicturus cubiculum ejus intrat, a quo ob summam indignationem in furorem verso & desperabundo simili, acerbissimis verbis accipitur, & multis tandem maledictis dimittitur. Dicere solebat Galeacius hanc patris inhumanitatem pectus suum, quod blanditiis mage deliniri potuisset, non parum obfirmasse. Cubiculo egressus reperit in xylo conjugem, liberos, eum de quo ante, pa-

truelem , aliosque domesticos , mœroris omnes ac luctus plenissimos. Conjux arctissime eum amplexabatur , utque sui & totius familiæ rationem haberet , obtestabatur ; liberi genibus flexis plangebant , patremque sublatis manibus ne discederet , orabant ; patruelis cum cæteris oculis mœstissimis eum intuebatur , ut qui præ dolore verbum nullum proferre poterat. Erat ei inter alios filiola annos duodecim nata , quæ lacrymans & subinde clamans , patris femur amplexa , tam arcte eum detinebat , ut avelli non posset , tanto cum ipsius cordolio animique angustia , ut (quod sæpe retulit) mori tunc crediderit. Virtute nihilominus supernaturali munitus , contra tot tentationes firmatus mœrores omnes pedibus conculcans , ac veluti tot periculosis pugnis victor domo paterna , clamoribus & lamentationibus plenissima relicta , ad littus venit. Ubi conscensa navi , vela Lesinam versus tetendit. Quemadmodum mari insaniente , & fluctibus sese undique elevantibus navis hinc illinc agitatur : sic verisimile est tanti viri mentem tum mœstissimis cogitationibus circumdatam & agitaram fuisse. Veniebat ei in mentem , quo in statu suos reliquisset , & adhuc in medio illorum versari , filiolamque femori adhærentem & ejulantem sibi audire videbatur : nec continere se poterat quin identidem retrospiceret , ut paternam domum , agros , villas , quorum ipse solus omnium legitimus heres jure futurus fuisset , contemplaretur : sed & liberos , patruelem , famulosque , qui in littore stabant , oculis in fugientem navem intentis. Huc accedebat recordatio verborum illorum acerborum , quibus pater Marchio discedentem prosequutus erat. Quæ omnia

omnia incredibilem dubio procul ei dolorem suspiria, singultus, lacrymas pariebant. Verum quemadmodum nauclerus irato mari, in atrarum nubium magno conflictu, fluctibus tumultuantibus ad gubernacula sine trepidatione sedet, datque operam ut navem arte sua bene dirigat: sic & Galeacius noster sacram capiens ancoram, in Deum spem, inconcussus animo, Cynosuram veram sequebatur, dum Dei singularem gratiam meditaretur, qui eum vera constantia inter tot Sathanæ insultus donaverat, qui ei timorem illum carceris perpetui ademerat, qui ipsi quod optaverat largitus erat, ut erga conjugem officio suo, cui se principio defuisse doluerat, satisfacere posset, & nihil eorum omittere quæ ad ipsam jure permovendam facere videbantur. Magno ipsi solatio hæc erant: sed protestationem illam imprimis utilem admodum futuram sperabat. Hæc secum animo volvens Lesinam pervenit; inde Venetias maris secundo cursu profectus est: ubi fratrum Deo fidelium nonnullos repperit; qui quod audivissent eum Vicum profectum, animo suspenso aliquamdiu hæserant ob evidens periculum: sed cum incolumem eum rediisse viderent deque Sathanæ carnisque affectibus tamquam hostibus triumphasse intelligerent, in lætitiâ versi Deo gratias maximas egerunt. Venetiis dein discedens per Rhætiam, ubi Ecclesias visitavit & sua præsentia consolatus est, Genevam 4. Octobr. anni M. D. LVIII. rediit, redituque suo totam Ecclesiam summopere exhilaravit. Quumque quod ei contigerat intellexissent, in tantæ constantiæ admirationem tracti, Dei singularem gratiam celebrare non desinebant, quod a via voca-

1558

tionis Dei aberrare Galeacium non siviſſet , & re-
 ipſa illud Davidis comprobaffet ; *Quoniam in me
 ſperavit , liberabo eum : Cum ipſo ſum in oppreſſioni-
 bus : eripiam eum , & honoribus coronabo eum.* Et
 alibi ; *Qui in Deo confidit , non confundetur in æter-
 num.* Annos jam aliquot Genevæ vixerat , quan-
 do ſuam de divortio faciendo cum Calvino volun-
 tatem , conſilii petendi gratia , communicare ,
 ejusque rei cauſas , & inter alias , neceſſitatem
 adducere cæpit. Prævidebat Calvinus , ut erat
 acerrimo a Deo præditus judicio , non defuturos
 multos , qui factum id improbaturi eſſent , &
 veræ religioni detracturi , tum vel maxime quod
 pauci doctrinam de divortio intelligerent , &
 quod ejus rei exemplum , inter Italos præcipue ,
 dari non poſſet , apud quos iſte vir generis ſplen-
 dore eminebat clariffimusque erat. Nihilominus
 quum ipſius rationibus , quæ Verbo Dei niteban-
 tur , reſpondere non poſſet , ne ejus conſcientiam ,
 qui ſe neceſſitate ad id adigi dicebat , perturbaret ,
 ei ut a PETRO MARTYRE cæterisque Helvetiæ
 & Rhætiæ Theologis primariis conſilium in tanta
 re peteret ſuaſit , cui ſe ſubſcripturum promitte-
 bat. Obtemperavit Galeacius. Scriptis itaque &
 miſſis , uti convenerat , literis , reſponſum una-
 nimiter fuit , poſſe ipſum ſalva conſcientia ab uxo-
 re , quæ vinculum prima ſolverat , divertere.
 Variæ adducebantur cauſæ ex ſacris libris & Ju-
 ris prudentia promptæ ; quæ etiamnum adſervan-
 tur , ut , ſi opus ſit , in medium adduci poſſint.
 Iſto niſus fundamento , juris tramite ſervato , di-
 vortium a magiſtratu petiit , & obtinuit alterius
 ſcilicet uxoris ducendæ libertatem. Qua re cum
 ſuis communicata , novo conjugio animum ap-
 pli-

plicuit, non formam, non opes, non genus requirens, quod a cæteris fieri consuevit, sed vitæ solum consortem, cum qua quod supererat vitæ in tranquillitate animi & conscientiæ quiete, sancte degere posset. Commodum illis diebus vidua quædam Rhotomago Genevam religionis purioris causa venerat, honestatis, pietatis & in tuenda religione constantiæ laude insignis matrona, XL plus minus annos nata, cui ANNÆ FREMERIÆ nomen erat. Hanc XVI Januarii anni M. D. LX, ætatis suæ XLIII, matrimonio sibi junxit, ac multos postea annos cum ea mira animorum & religionis concordia in summa quiete & solatio vixit. *Sic benedicetur vir timens Jehovah.* Uxore ducta rei familiari modum frugalem præscripsit, ne sumptus censum, qui minor variis de causis factus, dotis tamen accessione conduplicatus erat, superaret. Quum igitur pro famulis ancillas duas conduxisset, reliquum vitæ in magna parsimonia & sobrietate transegit, sine fordibus tamen, ut qui rebus necessariis nunquam caruerit. Simplice igitur vestitu utebatur, sed nitido, & qui in patria tot servorum dominus fuerat, solus jam per urbem incedebat; nec ipsummet sibi necessaria mercari pudebat, fructus etiam, interdum & legumina. Quamvis autem hæc & alia eum a ceteris plebeiis non distinguerent, in toto nihilominus corpore dignitas illa elucebat, quam imperio dignam Euripides judicabat, eo magis quod cum dignitate pietas conjuncta esset, quæ ipsum inter alia Ecclesiæ illius membra eminare faciebat, qualiter splendet inter ignes Luna minores. Nullus Senatorum, nullus verbi Dei ministrorum reperiēbatur, qui ipsum non magni fa-

ceret, & in oculis ferret. Nullus inibat solennis cœtus, nullum fiebat convivium, quin ipse humaniter invitatus inter primos collocaretur; & quamvis Marchionis titulum respueret, quod se ea successione a Cæsare privatum diceret, aliter tamen a nemine unquam vocari potuit. Quod si Principum aliquem illac iter facere contingeret (id in *Francisco & Alphonso Ferrariæ Ducibus*, in *Salerni Principe Octavio*, item *Farnesio Parmæ Duce*, aliisque vidimus) ab ipsis magna benevolentia, honorisque exhibitione semper accipiebatur, non secus ac si Neapoli vel in Cæsaris aula tunc, ut olim, florisset. Nullus magnatum, nullus nobilium, nullus denique alicujus dignitatis eo appellebat, qui non confestim tanti viri aspectum & alloquium expeteret. Frequenter igitur ad eum conveniebant quamplures, non tanquam ad privatum in casa; sed tanquam ad principem in regia habitantem. Versabatur tamen ut plurimum cum suæ gentis hominibus: inter quos licet humillimorum civilissimus esset, ab iis nihilominus semper & ubique tamquam Dominus colebatur. Et re vera multa habuit Galeacius, quæ ad hominum animos conciliandos plurimum valere consueverunt. Nihil gratius certe, nihil suavius ipsius sermonibus reperiri potuisset. Valebat enim memoria, & dicendi facultate tranquilla & serena. Mirum dictu est quoties aliquid eorum quæ vidisset (quod sæpe fiebat) narraret, ut de Cæsaris in Provinciam expeditione, de ejusdem bello adversus Clivensem Ducem in Geldria gesto, aliaque multa scitu dignissima, quam omnes ab ipsius ore penderent. Erga tenues & miseros blandus & comis erat; cum paribus & propinquis eum versari dixisset:

ses : sed & liberalis : nemo ipsius opem imploravit , quem non ilico quibuscunque rebus potuerit sublevarit. Ægros quoque diligentissime visitabat , fovebat , & præsentia sua , sermoneque perbenigno ita solabatur , ut se felices judicarent. Studia erant , publicis quæ ad Deum fieri solent precibus quotidie interesse , Verbi Dei prædicationem attentissimis auribus auscultare. In his enim veram hominis beatitudinem consistere judicabat , ad suaviter & feliciter vivendum , in via sanctificationis manendum , Sathanæ insultus infringendos , carnis affectibus resistendum , & Deo sine fuce obediendum. His Sacrarum literarum addebat lectionem , certa salutis suæ fundamenta inquirens , ad suam aliorumque utilitatem & consolationem. Sed inter alia *Senioris* officio assidue fungebatur , in mores vitamque sedulo inquirens , ne scandala in Ecclesia orirentur , quæ vel perturbationem , vel dedecus aliquod afferre potuissent. Privata quinetiam diffidia , pro eo quo pollebat iudicio , auctoritate & dexteritate dirimebat. Ad summam : eas demum legitimas judicabat occupationes , quibus non privata quæreret commoda , sed solius Dei gloriam , Ecclesiæ utilitatem & incrementum , spiritualisque regenerationis confirmationem. Cum Genevæ multos jam annos esset quietis & tranquillitatis plenus , ab omni ambitione impiisque superstitionibus longe remotus , novæ se obtulerunt afflictiones , quibus iterum Omnipotens donum in ipso patientiæ , fidei , spei & perseverantiæ splendere fecit , ut ipsum postea corona cælesti ornaret. Incidit primo in gravissimum , ancipitem & longum morbum , qui ex catarrhi abundantia contractus erat , & respirandi

difficultatem (asthma vocant) pepererat, qua noctes diesque plusquam dici potest vexabatur. Nam noctes etiam integras sedere, & identidem ab uno in alium locum transportari cogebatur, ut quiescere & somnum, qui eum plane reliquerat, captare posset. Molestissimo huic morbo qui corpus affligebat, novum Sathanæ inventum accessit, quo animam etiam inquietare conatus est. Venit illis diebus Genevam sororis ejus naturalis filius cum litteris a priore uxore VICTORIA, & filio primogenito: quibus inani sua loquacitate multa addidit, hortatusque est ut agnito tandem errore in patriam rediret. Causam præcipuam hanc adducebat, eum sua hac in tuenda nova & omnium calculo damnata religione pertinacia, *Carolo* filio sacris jam initiato, summo impedimento esse, ne ad majorem dignitatem, *Episcopi* scilicet, vel *Cardinalis*, qua dignissimus habebatur, ascendere posset. Hæc quantopere Galeacii animum, a vanis hisce & abominandis dignitatibus plane alienum offenderint, iterum lectoris judicio permitto. In ignem igitur conjectis præsentem nuntio literis, breviter, sed graviter respondit, ipsique ne tale quid amplius effutire pergeret severe imposuit: Nullum se a filio tristiore nuntium accipere potuisse, quam quod intelligeret, eum vana honorum spe allectum, viam perditionis elegisse: atque ideo se non solum majorem in modum optare, ut impedimento ipsi hac in re esse possit; sed Deum etiam precari, ut filius patris exemplo horrendas pontificatus superstitiones & idololatrias agnoscere, execrari, detestari discat, & ambitione vana, mundique dignitatibus relictis, gressus ad Deum dirigat, veritatem tandem amplectatur,

Etatur, obedientiam cælesti vocationi præstet, & ad veram dignitatem aspiret, quæ illis præparata est, qui mundum carnisque affectus oderunt, ut sancti fiant. Non cessavit propterea importunus hic *Theatinus* (hujus enim sectæ erat) Galeacio molestiam præbere, vana in medium afferendo, inter alia magnam pecuniæ vim offerendo, quam Lugduni in hunc usum, si in Italiam redire statueret & ibi commorari, præcipue autem Augustæ Taurinorum, ubi liberam vivendi facultatem (uti dicebat) ipsi obtinuerat, apud argentarios affervari dicebat. Sed cum tanti viri patientia abutens, neque hic impudens homo acquiesceret, & ad injuriosa verba progrediretur, merito ei Magistratus jussu urbe interdictum fuit. Atque sic Deo visum est Galeacium morbo afflictum, hac non parva molestia, ut & aliis, liberare: nam paulo post ejus mortem monachus quidam ipsi sanguine junctus, monachali fastu inflatus, eo venit, ut inani sua loquentia nihil non tentatum relinqueret, quo Galeacius, si vixisset, in superstitionem & idololatriarum cœnum retraheretur, ut scilicet filiis mundi honores & dignitates sequi daretur. Sed ad ægrum nostrum revertamur. Magni dubio procul erant languores & dolores, sed invicto plane robore eos superabat; Mens intacta manet, superat ridetque dolores. Spectanti similis; dum Dei erga se singularem amorem, cujus certus erat, meditaretur, & quot quantaque ab ipso beneficia accepisset, quibus innumeros Sathanæ insultus sustinuerat, & ex multis periculosissimis pugnis victor evaserat, contemplaretur, exiguosque & momentaneos illos corporis dolores æternæ gloriæ & beatitudini,

qua fruiturus erat , opponeret. Sed in precibus præcipue suis ad Deum summam reperiēbat voluptatem , ut qui ardentissime eas fundens æternæ jam gloriæ compos sibi factus videretur. Verissimum igitur illud est , *sicut superabundant Christi passiones in nobis , ita & per Christum abundat consolatio.* Curabatur interea magna medicorum diligentia , frequenter quinetiam ab amicis invisebatur , quorum ipsi conspectus gratissimus erat. Uxor imprimis incredibili cura & assiduitate circa lectum ægri perpetuo versabatur. Sed appropinquabat tempus quo misericors Deus opus suum benedicere statuerat. Crescente enim vi morbi, remediis omnibus superatis , assidentibus indefinenter Verbi Dei Ministris , eumque consolationibus e sacra Scriptura petitis , lectione sacra , facrisque precibus prosequentibus , placide animam suam Deo reddidit ; quam ipse cœlesti , beata , æternaque requie donavit. Factum id anno M. D. LXXXVI , cum vixisset annis LXIX. mens. IV.

* * *

O LUX beata cœlitum,
 Mortalium fidissima
 Tutela, quas agam tibi
 Jesu benigne gratias?
 Ut olim aberrans a grege
 Ovis misella saltibus
 Formidolosis delitet
 Voranda mox rapacibus
 Feris; miserrimus omnium
 Sic ipse per mala omnia
 Cæcus ruebam, candida

Cum

*Cum lux beati spiritus
 Tui refulsit, & viam,
 Quæ ducit ad felicium
 Æterna regna cœlitum
 Monstravit. Ista lux meæ
 Mentis tenebras dispulit;
 Cordi meo dulcissimi
 Faces amoris ista lux
 Infixit. Illo ex tempore
 Te sancte totus ardeo,
 Te quero amore saucius,
 Videre vultum candidum,
 Tuis frui complexibus
 Mens ardet: ipsa jam nihil
 Te præter unum cogitat.
 Non sic decentem virginem
 Furens amator deperit,
 Non sic tenellum filium
 Parens uterque diligit.
 Amoris æstu liquitur
 Cor molle, ut olim fervidis
 Percussa cera solibus.
 O flamma mentem frigerans
 Omnesque labes excoquens,
 Me semper indies magis
 Incende, perge adurere,
 Consume, totum verteris
 Me donec in faces tuas.*

M. A. F.

Appendix
ad superiorem Vitam.

UT pateat, quis ille homo fuerit, in cuius locum *Calvino Caracciolum* substituere placuit, primam Commentariorum ejus in priorem Pauli Epistolam ad Corinthios Dedicacionem hic lectoris oculis subjiciam: Illa vero ita habet:

Illustri Viro D. JACOBO a BURGUNDIA,
Falesii Bredanique Domino.

UTinam hic noster Commentarius, quo Pauli Epistolam non minus obscuram quam utilem, conatus sum explicare, sicuti a multis pridem expetitus, atque etiam subinde flagitatus, nunc in lucem prodit; ita spei votisque omnium similiter respondeat. Hoc ideo dico, non ut fructum inde aliquem laudis percipiam, quæ ambitio a Christi Servis longe abesse debet; sed quia prodesse omnibus ipsum cupio: quod fieri nequit, nisi probetur. Ego quidem, ut citra ostentationem plurimum Ecclesiæ Dei prodesset, summa fide nec minore diligentia elaboravi. Quantum profecerim, judicium ab ipsa experientia facient Lectores.

Id certe me affecutum esse confido, ut ad Pauli mentem penitus intelligendam, adjumento non vulgari sit futurus. Tibi vero, Clarissime Vir, vehementer placituum, adeo non dubito: ut inonendus etiam mihi sis, ne amore erga me nimio abripi te extra justum modum sinas. Quan-
quam

quam ut id tibi forte contingat ; iudicium nihilominus tuum tanti faciam , ut labori me statuam bene successisse , si tuum suffragium absque exceptione tulerit.

Porro ut Tibi nuncuparem , non hæc tantum caussa me impulit , quod sperabam gratum Tibi fore : Sed cum aliæ complures , tum vero hæc præcipue , quod Tua Persona Paulinæ Epistolæ argumento apte congruebat. Nam cum hodie nimis multi Evangelium convertant in frigidum & umbratile Philosophiæ genus , rite se defunctos putantes , si auribus tantum annuerint , Tu nobis vivæ illius efficaciam , quam tantopere urget Paulus , insigne es exemplar. Te , inquam , cum intuemur , agnoscimus quis sit ille Spiritus vigor , qui in Evangelio spirare , teste Paulo , debet : quod ego Tua certe caussa non commemoro : sed quia ad Exemplum , magni interesse arbitror.

Magnum quiddam fuisset , si in ordine nobilitatis primario , in excelso honoris gradu , quem obtinebas , in illa fortunæ opumque amplitudine , [quæ omnia tot hodie corruptelis scatent] tum ipse moderate continenterque vixisses , tum familiam continuisses in casta honestaque disciplina. Utrumque abunde præstitisti. Ita enim Te gessisti , ut ab ambitione alienissimum esse , claris experimentis omnes agnoscerent. Ita splendorem Tuum , sicuti necesse erat , retinuisti , ut nulla in mediocritate , sordium nota apparuerit : & tamen palam esset , Te magnificentiam fugere potius quam appetere. Ita comem humanumque omnibus Te exhibuisti , ut Tuam modestiam laudare cogeren-

tus

tur omnes: neminem certe vel minimum fastus aut insolentiæ indicium offenderet.

De familia uno verbo dixisse sufficiat: ita fuisse constitutam, ut Domini ingenium moresque, tanquam speculum aliquod imaginem, referret. Hoc jam ad imitationem illustre fuisset, rarumque virtutis Exemplar. Verum multo pluris facio, quod improborum hominum calumniis apud Cæsarem falso gravatus, neque id alia de causa, nisi quod eos Christi regnum, simul atque cœpit alicubi efflorescere, ad insaniam rabiemque adigit, infracta animi magnitudine Te sustentas: nec minori cum laude patria nunc cares, quam Tua præsentia antehac ipsam ornasti. Cœtera subticeo, quia nimis longum esset persequi. Id quidem inter Christianos plus quam commune usitatumque esse debuerat, non prædia modo & arces, & principatus, æquo animo, Christi causa, relinquere: sed etiam alacriter libenterque præ ipso despiciere quicquid sub cœlo pretiosissimum ducitur. Quæ tamen nostra fere omnium est ignavia simul & socordia: ut singulari admiratione digna est ista virtus, ita cum in Te adeo conspicua cernitur, utinam multos ad æmulationis studium extimulet: ne perpetuo desides in suis nidis latere pergant; sed aliquando in medium proferant, si quam habent Spiritus Christiani scintillam.

Quod autem novis subinde criminationibus Te adoriuntur, quos constat esse furiosos pietatis hostes: nihil proficient aliud, nisi quod hæc tam crassa mentiendi licentia magis ac magis putidos se reddent. Certe nemo sanus non agnoscit, ra-
bidos

bidos esse canes, qui cum discerpere Te cuperent, ubi mordere jam nequeunt, latrando se ulciscantur. Bene est quod procul, ut nihil lædant. Impiorum vero injuriis, tametsi multum imminutæ sunt Tuæ fortunæ, non minus tamen apud pios veræ gloriæ Tibi accessit. Cæterum, Tu, sicuti hominem Christianum decet, longius respicis. Neque enim alibi acquiescis, quam in cœlesti gloria, quæ nobis apud Deum reposita, simul atque externus homo noster interierit, patefiet. Vale præstantissime Vir, cum generosa Tua Conjuge. Dominus Jesus ambos diu conservet incolumes in regni sui propagationem, atque in vobis de Sathana totaque hostium suorum factione, semper triumphet. Genevæ. IX. Cal. Febr. 1546.

Prostat Epistolarum J. CALVINI ad JACOBUM de BURGUNDIA, *Falesii Bredanique Dominum*, gallico sermone conscriptarum Sylloge, ex qua abunde cognoscitur, quantum aliquando Calvinus tribuerit illustri huic Viro, quibusque officiis eum demereri studuerit: In hac Sylloge occurrit num. XI. p. 39. Epistola, quæ hanc ipsam Dedicacionem spectat, & quam non pigebit huc transcribere:

MONSEIGNEUR.

*DE*puis mes Lettres escrites, je me suis radvisé touchant l'Epitre dedicatoire de mon Commentaire; car pource que c'est grant poine & difficulté de s'astreindre à remplir tant des pages & non plus, je lenvoye toute faicte. Neantmoins à telle condition, qu'elle ne s'imprime que par vostre commandement. Pourtant
 Pay.

Pay-je enclose dans les presentes, affin que Vendelin ne l'ait que par vos mains. S'il ne Vous semble pas expedient que je Vous l'adresse, j'en ferois une nouvelle, estant adverty. Au reste ne Vous esbahissez, si je parle en brief de Vous; car je craignois d'attoucher quelques espines en y entrant plus avant. Mais selon que les choses se porteront, nous pourrons au plaisir de Dieu, à la seconde impression, desduire pleinement tout ce qui sera de mestier. Combien j'aurois grand desir, sic c'estoit le plaisir de Dieu, d'estre avec Vous trois ou quatre jours, pour deviser de bouche plustost que d'escrire. C'est possible folie à moy de penser que ma presence Vous servit. Mais quoy? Encor que la faculté deffaille, l'affection me faiçt parler ainsi. Toutefois ce sont souhaits, qui sont plus aisez à faire, que acomplir. Ainsi contentons-nous de ce que Dieu nous donne . . . MON-SEIGNEUR après m'estre humblement recommandé derechef à Vostre bonne grace & celle de Mademoiselle, je pryé toujours nostre Seigneur qu'il Vous maintienne à sa gloire.

Calvin.

A Monseigneur
Monfr. de Fallez.

receu le 6. Febr. 1546.

Quid quod etiam NICOL. GALLASIUS, Calvini Collega, eidem nobiliss. Viro sub dato 15. Mart. 1546. publice inscripsit *Libellum adv. Anabaptistas & Libertinos* a Calvino conscriptum, a se vero in latinum translatum, quem typis excribendum curavit Argentorati per *Valentinum Richelium*, forma quam vocant octava. Quid deinde tam arctam necessitudinem & animorum conjunctionem inter Calvinum & Fallesium disturbaverit, non

non adeo proclive est dicere; Hoc certum est pristinum Calvinum ab hoc Viro penitus fuisse alienatum, postquam Fallesius *Hieronymo Bólseco*, medico suo [qui in vinculis tenebatur, propter causam prædestinationis & scandalum in concione publica datum] nimis favere videbatur. Adjiciam hoc loco binas Fallesii ad Bullingerum nostrum Epistolas, ex quarum posteriore sub hoc ipsum tempus data idem non obscure colligi potest. Cæterum qui de Fallesii persona, dignitate, fatis, plura cognoscere cupit, adeat præfationem Opusculi supra citati, quod sub titulo: *Lettres de CALVIN à JAQUE de BOURGOGNE, Seigneur de Falais & de Bredam, & à son Epouse, JOLANDE de BREDERODE: Inprimées sur les Originaux. à Amsterdam chez J. Wetstein. 1744. 8. prostat.*

Eximio Christi Servo,
D. HENRICO BULLINGERO,
Tigurinensis Ecclesiæ Pastori fidelissimo.

S.

CUM mihi pius hic vir, cui meas literas ad te dedi, peraccomodus visus sit, si quis alius, ad meum erga te in Christo amorem testificandum, & quam te reverear, tum ob eas dotes, quibus te Dominus ornavit; tum ob diligentiam, quam adhibes in communi Ecclesiæ utilitate procuranda; non sum veritus ad te per eum familiariter scribere. Existimo enim præsentiam ipsius, & seria negotia, quæ vobiscum tractaturus est, mihi hac in re excusationi fore. Nam cum eorum causa valetudini suæ non parceret, æquum mihi visum est, ut operam aliquam impenderem,

ad vos saltem per literas sollicitandos, ut horum temporum necessitatem attente diligenterque consideretis, atque efficiatis, quantum in vobis erit, ut fructus aliquis hujus protectionis extare possit. Equidem testari possum, eam ab ipso animi gratia minime susceptam esse, ac jam pridem a veris Dei servis, ut eam susciperet, rogatum fuisse. Et quamvis ipsius hinc discessus mihi molestus sit, cum tamen intelligerem, quam necessaria esset ista protectio, ipsum, quantum in me fuit, incitavi. Huc etiam accedit & alia ratio, ob quam mihi jucundum est, ipsum ad vos proficisci, quod mutua communicatione multo plus quam literis efficiatur, meliusque omnino aperiatur via sedandis controversiis, si quæ supersint, & confirmandæ paci, qua nihil optabilius universæ Ecclesiæ accidere potest. Fac ergo, mi frater, fac quæso, dum vivis, ut mutua inter Ecclesias alatur concordia. Nunquam enim fortassis posthac duo ingenia occurrant, qualia vestra sunt, tam accommoda ad audiendas utrinque rationes, & ea reconcilianda, quæ alioqui pios multorum animos perturbarent. Hoc tibi affirmare possim, me communem utriusque vestrum amicum & filium in Domino, quique vobis quam prosperrimum rerum omnium statum exopto: passurum non fuisse, si modo id valetudo mea ferre potuisset, ut sine me ad vos proficisceretur. Adjunxissem enim me socium itineris, vosque & Ecclesiam vestram libenter visitassem. Genevæ XX Maji 1549.

Tuus

Jacobus à Burgundia.

Si quid novi habes a Domino Hoppero, & ejus uxore, indica quæso, brevi, volente Deo, ad illos scripturus.

Clarissimo Viro eximioque Jesu Christi Servo
 D. HENRICO BULLINGERO,
 Tigurinæ Ecclesiæ Vigilantissimo Pastori,
 D. ac Fratri colendo.

Jamdudum crebris tuis salutationibus pro anti-
 quo animi mei erga te studio, tuique obser-
 vantia respondiſſem, Frater ac Domine charissi-
 me, nisi continuæ infirmitates variæque occupa-
 tiones me hætenus præpediſſent. Nunc autem
 quum melius aliquantulum habeam, ac *Julium*
 hunc nostrum presentiarum latorem opportune
 nactus fuerim, qui mihi significarit se velle ad vos
 conferre, Ecclesiæ vestræ visendæ gratia, tam
 justam opportunitatem negligere nolui: quin po-
 tius par esse duxi, presentes sibi committere: ex
 quibus satis conſpicere possis, quam ex animo
 doleam, me non potuisse tibi pro meo desiderio,
 debitas vices in salutando rependere. Ceterum,
 quantum ad latorem attinet, fidelis est, & mihi
 probe cognitus: utpote qui biennium provin-
 ciam hanc coluerit, suæque fidei & probitatis ar-
 gumenta minime obscura, apud nos ediderit,
 commonstravitque, quam graves & horrendas ob-
 predicatum Evangelion sustinuerit per Italiam per-
 secutiones. Habet n. hujus rei sua, que secum
 ipse fert, amplissima testimonia. Quare com-
 mendatum tibi in Christo fore minime dubito.
 Siquidem confido hoc solum argumentum tantum
 commendationis apud te habiturum, quantum
 ad eum amplectendum extra omnem imposturæ
 suspicionem habere debeat. Novi hic aliquid ha-
 bemus, quod quum te scire summopere cupiam,
 hic ipsus qui has tibi reddet, rei seriem melius

verbis tibi proponere poterit , quam mihi scribere nunc vacet. Ipsi igitur indubitatum , si placet , adhibeto fidem. Fuit n. omnium quæ narrabit Spectator presentissimus & testis locupletissimus. Ideoque (ut est veritatis amator) erit quoque apud te historiæ narrator fidelissimus. Quem ubi benigne (ut fere soles) audieris , rogo te impense , ut si tibi per ocium liceat , tuo me , ad ea quæ tibi proponet , digneris responso. Vale.

Totus tuus

JACOBUS A Burgundia.

Non sine lacrimis tragediam istam *Calvini* & suorum videre & audire cogor mi Frater. Deus suam veritatem perpetuo conservare dignetur. Tabelarium de hac historia audies & quidem credere potes : in reliquis non ita pro eo spondere ausim. Saluta omnes tuos commilitones ac Dominos meos in Christo.

T A N T U M .



STE-